



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Nostra sententia ponitur & probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

SECTIO II.

Nostre sententia ponitur & probatur.

tura ex quocunque fine bono & honesto potest honeste facere, si semel sciat, tale peccatum inde futurum, quam veritatem catholicam Patres, & scholastici fatentes docent id fieri à Deo; quia legibus non vincita est, eo quod sit summa regula, quia malitia oritur ex causa secunda; quas & alias rationes explicant, ut Deum immunem ab omni peccato præsentent, in eo concursu ad materiale peccati, sicut omnes catholici concedunt, Deum libere velle, quam libertatem amandi nulla creata voluntas habet, nisi per realem mutabilitatem intrinsecam, quam Deo concedere nefas est, & nihilominus reueremur in Deo ut quid perfectum posse velle & non velle absque sui mutatione intrinseca.

Illud obserua à recentioribus per audaciam dictum, nempe non esse inconueniens aliquid asserere in Deo esse verum accidens reale virtuale, quia licet Deus formalissime sit substantia, per æquivalentiam est accidens; nam id, quod formaliter sumptum in creaturis est imperfectum, virtualiter sumptum in creatore est perfectum; hæc omnia per audaciam assuntur contra Doctores omnes & Patres asserentes, in Deo nihil esse, quod vlla ratione mereri possit nomen accidentis realis, nisi tantum per intellectum & nostro modo concipiendi, secundum quem attributa dicuntur passionibus, & proprietates essentia, ab illaque oriri; omnes enim Patres dicunt, quidquid est in Deo realiter esse Deum, & substantiam, & supra substantiam, & si aliquid probat ratio prædicta, euincit non solum virtualiter esse dandum accidens, sed etiam formaliter propter virtutalem absentiam, sicut datur formalis libertas in Deo propter virtutalem contingentiam.

Præterea à priori sic argumentor: Deus in aliquo signo ab æterno debet concipi, & realiter indifferens ad volendum, & non volendum creaturas, in quo signo intelligitur volens seipsum necessario ut summum bonum, & talis volitio indifferens ad hoc, ut sit volitio creaturæ, vel nolito ipsius, postea advenit secundum signum in quo iam libere dicitur determinate velle actu secundo creaturas, in quo signo iam non est indifferens realiter sed determinate amans illas realiter: in hoc ergo signo quid habet Deus in se, vel extra se quod non esset in primo? Respondent, nihil formaliter realiter: virtualiter tamen habet Deus totum illum actum denuo intrinsecum, quo amat creaturas, quas in signo antecedenti non amabat realiter, hoc est in hoc secundo signo ita se gerit Deus realiter, ac si denuo contingenter, realiter, physice, formaliter adveniret totus ille actus amoris ut realiter distinctus: quod si in hoc secundo instanti Deus nollet creaturas, quid ei deficeret? Respondent, realis entitatis formaliter physice nihil; virtualiter tamen totus actus intrinsecus amoris deficeret; quia in ordine ad denominationem amandi creaturas perinde se habet ille actus amandi, ac si realiter, physice, formaliter deficeret, sicut in creata voluntate deficit, & hoc est mirabile in Deo: sed hæc solutio falsa est; nam si in secundo signo nihil est intrinsecè in Deo, neque extrinsecè ex parte creaturarum, quod non fuerit in priori; quomodo mens humana capere potest in secundo signo prædicari de Deo realiter contradictoriam veritatem illi, quæ prædicabatur in priori?

I. P. Tom. II.

Prima conclusio, ad libertatem voluntatis diuine requiritur contingentia aliqua, quæ cum non possit esse formalis debet esse virtualis.

Probatur hæc conclusio, quia Deus quatenus libertatem habet in ordine ad creaturas, contingenter, & non necessario se exercet respectu illarum; vnde secundum fidem catholicam, & secundum lumen naturæ Deus non necessario amat creaturas futuras, sed potius cum indifferentia, & ita amat, ut poterit non amare illas; quæ indifferentia formalissime constituit libertatem: ergo verum est dicere Deum contingenter amare illas: patet consequentia: quia contingens, & necessarium opponuntur, sed non amat necessario: ergo contingenter amat: è contra vero, si diuinam voluntatem consideremus respectu ipsius Dei, nullo modo amat contingenter, sed necessario: quapropter ita determinate se amat Deus, ut non possit contingenter se amare; quia determinatus omnino est ad se amandum: ergo à contrario sensu si non est determinatus omnino ad amandas creaturas futuras, vel actuales cum contingentia, aut contingenter amabit illas: ergo ad amorem liberum circa creaturas necessaria est contingentia.

Vergetur, ac declaratur, non potest respectu eiusdem obiecti dari duplex volitio simul opposita, & ideo quia Deus se ipsum amat necessario, non potest habere oppositam volitionem respectu sui, scilicet amare contingenter, contingens enim, & necessarium ita opponuntur inter se, ut nullo modo compariantur simul in eodem subiecto respectu eiusdem; vnde cum Deus in entitate sua sit necessarius, non potest simul in eadem entitate esse contingens; & è contra, quia creatura est contingens, non potest esse necessaria quoad entitatem, & ideo colligimus creaturam esse contingentem, quia potest esse, & non esse; sed etiam Deus ratione libertatis potest amare, vel velle creare mundum, aut velle non creare illum: ergo in volitione Deus est contingens, sicut creatura in esse hoc est, quod sicut creatura est indifferens ad habendum esse, & non habendum esse; ita Deus est indifferens formaliter ad volendum dare esse, & ad volendum non dare esse. Quapropter sicut ex tali contingentia creaturæ colligimus manifeste, non dari in creatura oppositum talis contingentia: scilicet necessitatem inessendo; ita ex contingentia in amando colligimus non dari in Deo necessitatem in amando, & è contra quia secundum fidem catholicam credimus nullam dari necessitatem in Deo quoad dilectionem, & amorem creaturarum, ita manifeste colligimus, dari in Deo contingentiam quoad talem amorem; quare sicut quoad amorem sui est verum dicere, quia se amat necessario non potest se amare contingenter, ita opposito modo in amore creaturarum est verum dicere, quia non amat necessario creaturas futuras, vel actuales, amat contingenter illas, neque potest simul amare contingenter, & necessario easdem propter oppositionem, quam habent hi termini, contingenter, necessario, ratione cuius nunquam verificantur in eodem respectu eiusdem simul, ut patet ex oppositione modalium de quibus late egimus in Summulis.

Secunda pars propositionis seu conclusionis nostræ manifeste patet, quia contingentia formalis

E e e est

est illa, ratione cuius res, quæ illam habet, potest esse, & non esse, hoc est definire in esse formaliter à parte rei; ut videre est in creatura, quæ ratione contingentia quam habet formaliter à parte rei potest esse, & definire esse formaliter, aut corrumpi in esse.

Sed actus liber Dei ut supra late contra Caietanum demonstravimus, quia est ipse Deus formaliter non potest esse, & non esse, quia formaliter determinatus est ad essendum: ergo actus liber Dei non potest habere contingentiam formalem: ergo si est necessaria erit dicendum talem contingentiam esse virtalem, quia non datur medium inter contingentiam formalem, & virtalem.

16 Declaratur; quando in vno subiecto datur vnum oppositum formaliter metaphysicum non potest dari alterum oppositum formaliter in eodem; v.g. quia Deus formaliter est ens increatum; non potest simul esse creatum ens; & quia homo est animal irrationale; sed necessarium quoad esse formaliter, & contingens quoad esse formaliter opponuntur metaphysice: ergo si in Deo datur necessitas quoad esse formaliter in actu libero; non potest simul dari contingentia formaliter quoad esse in tali actu.

17 Secundo sic probatur. Quia licet contingentia formalis dicat imperfectionem, nihilominus tamen contingentia virtualis, aut æquivalentia nullam dicit imperfectionem, ut videre est in distinctione, quæ licet dicat imperfectionem inter prædicata absoluta si sit realiter, ac formaliter, & ideo non possit concedi in Deo, ut definitum est in Concilio Remensi contra Gilbertum, nihilominus tamen sine vlla imperfectione concedimus inter intellectum divinum, & voluntatem distinctionem virtalem à parte rei, quam etiam concedimus inter divinitatem, & relationes; ergo similiter, licet contingentia formalis ad essendum & non essendum sit imperfectio, & ideo non sit concedenda in Deo, nihilominus tamen poterit concedi contingentia virtualis, aut per æquivalentiam sine vlla imperfectione; nam quod formaliter sumptum in creaturis est imperfectio, virtualiter, aut eminenter sumptum est perfectio, & ideo in moralibus summa perfectio muneris regis est in ipso excellentissimo munere regali æquivalere non solum supremis officiis, aut muneribus, non solum belli, sed pacis, ratione cuius æquivalentia potest Rex formaliter exercere munera infima, quæ per se sumpta formaliter nullo modo decerent dignitatem regiam, & idem est in dignitate summi Pontificis, in qua summa excellentia est æquivalere Ecclesiasticis in finis muneribus. Item magna imperfectio est esse lapidem, ignem, & aquam formaliter, & sic absurdum est concedere, & dicere, Deus formaliter est lapis, ignis, aqua &c. & nihilominus magna perfectio est continere virtualiter, & eminenter lapidem: ergo licet contingentia formalis sit imperfectio, nihilominus contingentia æquivalentia, eminentia, & virtualis non dicit imperfectionem, sed summam perfectionem: ergo sine vilo incommodo potest concedi Deo, præcipue; quia divina libertas, & indifferentia sine contingentia aliqua nullo modo potest intelligi: atqui propter summam perfectionem Dei non potest ei tribui contingentia formalis, alias formaliter posset esse, & non esse, habere esse, & corrumpi inesse; ut docet Caietanus, quod supra late reiecit: ergo necessario concedenda est Deo contingentia virtualis.

Tertio sic probatur, quia sicut excommunicatione vnius formalitatis, v.g. divinitatis, & ex non communicatione alterius, v.g. Paternitatis à Patre respectu filii recte colligimus distinctionem virtalem inter ipsas, quia realem, & formalem Deo tribuere non possumus, ita ex contingentia denominationis libere volentis in Deo recte colligimus contingentiam virtalem, cum realem formalem colligere non liceat.

Explicatur hoc, quia in Deo datur prædicatum quoddam intrinsecum divinum summe necessarium, & indefectibile formaliter, quod infinitum est tam in genere entis, quam in ratione appetitus, & estque infinitum non per modum potentie, nec per modum actus inchoati, seu primi, sed per modum perfectissimi & ultimi actus: ergo ille actus ex vi suæ simplicissimæ entitatis, quam totam necessario habet, est sufficiens ad attingendum omnia obiecta volibilia, vnum quodque secundum rationem, & capacitatem suam, in illo igitur actu est tota actualitas necessaria ut amet Deus se ipsum propter se, & alia propter ipsum, & se ut finem, alia ut media. Tandem se necessario, quia hoc exigit infinita bonitas sua, & alia libere, quia hoc petit infinitum dominium, & perfectio superioritatis, quam habet circa res creatas, & quia non amplius requirit finis, aut obiecti bonitatem: ergo amat Deus alia à se non alio actu; nec per aliquid additum realiter actu vult, sed illomet, quo se amat, & posset non amare alia, si vellet per ipsum actum.

In hoc ergo solum consistit eminentia, summa excellentia, & infinita perfectio huius mystici, quod hic actus apprehendatur ut forma quædam, quæ secundum totam realitatem suam necessaria, & necessario sit in Deo, seu potius sit ipse Deus, & tamen non necessario compleat quasi adæquatam effectum formalem, quem conferre potest in ordine ad obiecta creata; sed potius est in manu, ac potestate habentis talem actum per illum velle dare esse illi & velle non dare esse ipsi, hoc est amare, vel non amare talia obiecta, & quando amat vere diligit sine additione aliqua formali, ita ut nihil ideo plus habeat, quam si non amaret & quando non amat, nihil minus habeat, ac quando vere diligit, neque definit esse formaliter aliquid intrinsecum in ipso, ex vi huius non amoris.

Hoc autem quod nos explicamus per modum 19 formæ & effectus formalis est in Deo longe eminentiori, & altiori modo, & ideo licet in formis imperfectis nunquam possit accidere, ut eadem omnino forma necessario existens in subiecto non conferat illi totum suum effectum formalem secundum capacitatem subiecti, ac proinde in volitione creata non possit intelligi, quod necessario habeat aliquem actum volendi, & nihilominus sit in manu eius velle, aut non velle per illum actum aliquod obiectum, quod potest amare, quia actus existens in potentia, necessario habet in illa totum suum effectum formalem, facitque eam actualiter tendere in totum obiectum suum; nihilominus divinum velle, quia non est forma informans, nec actus actuans, sed actus privativus, quam positivis voluntatis creatæ, & contingentia eiusdem altiori modo intelligendum est obstituere Deum, ut volentem, & attingentem obiecta cum eminenti quadam potestate ad attingendum, vel non attingendum secundaria obiecta, nulla in ipso actu mutatione, vel reali additione facta formaliter

Accedit

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 403

Accedit alia notanda differentia inter velle creatum, & increatum; nam velle creatum est totum natura sua ordinatum ad obiectum, à quo sumit speciem, & ideo non potest esse talis actus in potentia, quin actu inclinet ad tale obiectum, & non per modum potentiae, sed per modum actus, & ideo necessario constituit volentem, vel nolentem tale obiectum, velle autem in creatum nullam speciem sumit ab obiectis creatis, & secundariis, neque habet realem habitudinem ad illa, sed eminentissimo, & absolutissimo modo illa attingit, quando Deus illa vult & ideo licet illud velle secundum totam suam entitatem necessarium sit non tamen necessario amat & attingit talia extrinseca seu secundaria obiecta, & cum ea liberè attingit, non est necesse aliquid rei illi addere formaliter, sed se ipso est volitio eorum libere volendo, & se determinando eminentiori modo omni eo, quo attingit creatura suum obiectum.

Quod amplius confirmare ac declarare possumus ex comparatione inter libertatem creatam & incretam, libertas enim creata est potentialis, increta vero est summe actualis, & ideo illa est per modum potentiae activae simul & receptivae; haec vero est per modum purissimi actus ex quo nascitur inter eas proportionalis quaedam convenientia cum absoluta, & summa quadam dissimilitudine, & differentia. Proportio consistit in hoc, quod sicut libera facultas creata, quae activa est, ut se determinet ad hunc actum potius quam ad alium agendum non indiget alio determinante active; sed ipsa active accommodat suam vim ad hunc actum potius quam ad alium. Ita libera facultas, seu potius actualitas increta non indiget alio formaliter determinante, & quasi actuante, ut se se quasi flectat (ut sic loquar) ad hoc obiectum potius quam ad aliud; sed se ipsa id praestat, est tamen differentia manifesta, quod facultas creata, in qua formalis libertas est, quia est tantum in potentia, seu actu primo, indiget aliquo addito per modum actus secundi, quo formaliter determinetur; entitas autem libera Dei, quia non est potentia sed actus purus, non indiget addito aliquo tali, ut ad obiectum determinetur; sed se ipsa formaliter id praestat.

Ratio autem huius differentiae non est alia, nisi summa actualitas diuini illius velle & infinita perfectio eius, ratione cuius in se praehabet quidquid ad omnem actualitatem volendi necessarium esse potest; unde tota illa perfectio, quae addi fingitur per illud liberum, ac reale additum in ipsam infinitam perfectionem actualissimo continetur; seclusa tamen quadam imperfectione, nam illud additum, quod fingitur, tale est, ut necessitate quadam coniungat voluntatem diuinam obiecto creato, postquam scilicet intelligitur illi voluntati adiunctum esse illud additum. At vero infinita illa perfectio diuini actus nulli obiecto creato necessario coniungitur, sed illud ipsum amare, vel non amare potest, cum quadam indifferentia, & dominio, non supra se ipsum, sed supra obiectum. Haec autem indifferentia provenit in Deo, & in suo illo purissimo actu, ut iam dixi, ex quadam infinita, & eminentissima aequivalentia, non solum actui primo voluntatis creatae, sed etiam infinitis actibus positivis, & privativis, quibus determinatur ipsa voluntas ad amandum, vel, non amandum, unde Deus potest concipi ut in actu primo videlicet quando concipitur ut potens, vel-

I. P. Tom. II.

le, vel nolle, & sic aequivaler actui primo voluntatis creatae.

Item potest concipi in actu secundo sive positivo, sive privativo volendi vel non volendi, & sic aequivaler actibus secundis creatae voluntatis, unde haec reductio ad actum secundum per aequivalentiam in manu, ac potestate illius est, ratione illius eminentissimae, ac perfectissimae actualitatis cum, infinito dominio circa omnia obiecta creata, ita tamen debet hoc intelligi, ut quando aequivaler actui primo pro ut sic non aequivaler actui secundo nec debeat confundi cum actu secundo prout distinguitur à primo, & quando aequivaler actui secundo positivo, non aequivaler actui privativo, sed potius existente positivo actu, v. g. amoris desinat aequivalenter odium, & virtualiter deficiat, quia Deus non potest simul amare, & odio habere idem obiectum propter oppositionem utriusque actus; nam sicut in creatis non possunt simul formaliter esse amor, & odium eiusdem persona, ac proinde existente amore alicuius, definit formaliter odium eiusdem quia duo opposita non possunt esse simul in eodem subiecto respectu eiusdem, ut patet ex definitione eorum: opposita enim sunt, quae sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt; ita similiter in Deo existente amore alicuius debet deficere, & expelli eo modo, quo potest odium eiusdem obiecti, sed non potest expelli formaliter, aut formaliter destrui: ergo necesse est, ut destruat aequivalenter, aut virtualiter, quia si neque formaliter neque virtualiter deficit simul amabit Deus, & odio habebit idem obiectum, quod est falsissimum, ut ex terminis patet. Minor sic probatur, quia amor Dei, & odium Dei solum eo modo possunt separari, quo distinguuntur à parte rei, & non eo modo, quo identificantur; quia idem non potest separari à seipso, sed odium Dei identificatur formaliter cum amore Dei, & solum virtualiter, aut aequivalenter distinguitur ab illo: ergo solum virtualiter potest separari ab illo à parte rei; atqui existente amore, deficere odium est separari à parte rei odium ab amore: ergo existente amore solum virtualiter, & aequivalenter, & non formaliter potest deficere esse, destrui, aut deficere odium eiusdem obiecti, cuius est amor, & hoc est amorem ita esse prosecutionem ut aequivaler solum illi pro ut distinguitur ab odio, & non aequivaler simul odio, ut distinguitur ab illo, quia amor Dei aequivaler amori creaturae, atqui amor creaturae formaliter non est odium: ergo amor Dei aequivalenter non est odium, licet formaliter sint vna, & eadem entitas.

Exemplo clarissimo dilucidatur haec veritas, licet eadem entitas v. g. sit in deo exemplar leonis, & hominis nihilominus ut representat leonem, seu ut terminatur ad illum pro ut sic, non terminatur ad hominem tanquam exemplar eius, & contra, quae omnia sine additione, mutatione, aut distinctione reali formali in Deo sunt; sic similiter contingit in proposito, ut voluntas diuina reducatur ad hunc, vel illum actum modo iam explicato sine reali additione, vel diminutione formaliter à parte rei sit cum sola additione, vel diminutione virtuali; quod aliquomodo adumbratur incretis, nam quando voluntas creata reducitur de actu primo ad secundum non fit additio realis actu primi per aliquam additionem realem potentiae supra voluntatem, sed solum fit additio actus secundi super illam quia voluntas ipsa habet in-

E E e 2 divisi

diuisibiliter omnem rationem potentiae in ordine ad obiectum, & in tali indiuisibilitate seu simplici entitate eminentiam omnium actuum secundorum; non tamen est formaliter actus secundus omnis; sed Deus in suo actu secundo voluntatis habet omnem perfectionem, & eminentiam actus primi, & secundi æquivalendo omnibus illis perfectionibus creatis, ablati tamen imperfecti-
onibus illarum, per illud ipsum formalissimum esse volendi; ergo quando reducitur de actu primo ad secundum per supradictam æquivalentiam in manu ac potestate eius posita, nec fit additio actus primi supra illam perfectionem diuinam, quia æquualet actui primo creato per illum formalissimum actum volitionis, continendo omnem perfectionem sine imperfectione illius; nec fit additio actus secundi, quia in se est actus purissimus; unde tota illa perfectio, quæ videbatur necessario requiri, vel quæ poterat exigi in tali actu, vel fieri per illam additionem; iam in ipsamet infinita perfectione actualissime continetur, seclusa tamen omni imperfectione, & hoc propter præstantiam, & eminentiam illius actus; itaque hæc reductio in Deo nihil aliud est, quam posse Deum per illam eandem formalissimam entitatem sine vlla distinctione formali velle facere creaturam, aut velle non facere illam, amando, vel odio habendo ipsam, æquivalendo iam huic, iam illi actui primo vt distinguitur à secundo, vel secundo, vt distinguitur à primo, & sub illa ratione distinctionis, & secundo etiam positio amoris, vt distinguitur à positio odij, quando voluerit, & quomodo voluerit; quia totum hoc sicut est in infinita potestate, & dominio Dei, ratione cuius potest secundum exigentiam obiectorum tendere in illa, & ideo licet sit necessarius in se, potest tamen Deus ratione illius velle facere rem, vel velle non facere, & in se habere hanc, vel illam denominationem, quam per additionem realem formalem habet creatura per solam additionem, & diminutionem virtutalem.

23 Confirmatur, ac declaratur totum; quia non est minor imperfectio diuisibilitas, & extensio formalis in ordine ad locum, quam contingentia formalis; unde tantum repugnat Deo extensio, & diuisibilitas localis formalis, quam formalis contingentia; sed licet sit imperfectio extensio localis & diuisibilitas formalis, nihilominus tamen Deus virtualiter & æquivalenter habet extensionem, & diuisibilitatem, & ratione illius sine vlla imperfectione existit in locis infinitis extensis, & est præsens omnibus corporibus formaliter indiuisibilibus, quod certe nullus aut Philosophus, aut Theologus negare ausus est; quia nullo modo potest intelligi, quod Deus sit formaliter indiuisibilis, & intentus, & nihilominus sit præsens rebus extensis formaliter, nisi habeat aliquam extensionem, & diuisibilitatem, & cum non possit habere formalem propter imperfectionem, necesse est, vt habeat virtutalem, vel æquivalentem: ergo similiter licet Deus non possit habere contingentiam formalem propter imperfectionem illius, nihilominus sine vlla imperfectione poterit habere æquivalentem, seu virtutalem contingentiam ratione cuius æquivalenter se habet in amando, & non amando, ac creatura habendo, & non habendo entitatem amoris. Itaque cum nulla detur imperfectio in distinctione virtuali, & æquivalentia, quæ alias esset in distinctione formali à parte rei, neque

sit vlla imperfectio in extensione, & diuisibilitate virtuali, quæ sine dubio esset in extensione, & diuisibilitate formali; nulla ratio potest assignari, cur contingentia virtualis, seu contingentia per æquivalentiam repugnet Deo, ratione imperfectionis repetæ in contingentia formali.

Et cum ex alio capite non sit minus necessaria contingentia virtualis, & per æquivalentiam ad libertatem diuinam, ac diuisibilitas, & extensio virtualis, & per æquivalentiam ad immanentiam diuinam, & distinctio virtualis ad mysterium Trinitatis, necessario concedenda est contingentia virtualis, & per æquivalentiam Deo in ordine ad libertatem, sicut conceditur extensio, & diuisibilitas virtualis Deo in ordine ad immanentiam, & distinctio virtualis, seu per æquivalentiam ipsi in ordine ad mysterium Trinitatis.

A potteriori, & ex creatis sic demonstratur; nam ideo in libertate creata concedimus contingentiam, quia voluntas creata potest amare, & non amare, & ita habet amorem vt potuerit non habere illum, sed etiam voluntas diuina ita amat, vt potuerit non amare: ergo etiam debet habere aliquam contingentiam, quod adeo verum est, vt omnes Theologi, qui agunt de hac materia sine dubio fateantur, contingentiam esse necessariam, ita ad libertatem diuinam, vt sine illa, neque intelligi, neque esse possit diuina libertas; unde quidam ex Theologis confugiunt ad contingentiam connotatorum, alij ad contingentiam denominationis, & tandem alij ad contingentiam terminationis actus liberi, quia omnes unanimi consensu docent, contingentiam esse requisitum maximum ad libertatem: ergo aliqua contingentia concedenda est diuinæ libertati, sicut libertati create, cum hoc tamen discrimine quod libertas creata cum ex se sit participata, est corruptibilis, & ideo habet contingentiam formalem ad essendum, & non essendum formaliter, libertas autem diuina non potest habere contingentiam formalem, quia contingentia connotati non constituit libertatem diuinam, vt supra latissime probauimus. Neque potest habere contingentiam formalem in terminatione ad obiectum creatum, quia ipsa terminatio actus liberi non distinguitur à Deo, vt contra Caietanum demonstrauimus: ergo solum restat, vt habeat contingentiam virtutalem & per æquivalentiam.

Quod sic patet; nam si interrogemus, cur ita existit creatura vt potuerit non existere, aut cur ita producta fuerit, vt potuerit non produci? Item cur hæc creatura, v. g. Antichristus ita sit fururus, vt potuerit non esse talis, ratio enim non potest quæri in ipsa creatura, nec inueniri intra ipsam; quia sicut ex se non est, sed à Deo, ita etiam ex se non potest habere rationem, cur sit potius quam non sit; cum potuerit non esse: ergo optima ratio redditur respondendo, ideo creatura est cum potuerit non esse, quia Deus ita voluit. cum potuerit non velle illam: ergo ita est amor huius creaturæ in Deo, vt potuerit non esse in ipso: sed hoc dupliciter solum potest fieri aut per designationem formaliter à parte rei amoris diuini, qui nunc est eo modo, quo volebat Caietanum, qui nunc est eo modo, quo volebat nobis est nunc; & hoc fat latissime refutatum à nobis est tanquam omnino indignum Deo, & tanquam immediate oppositum fidei diuinæ; ergo non est concedenda viro catholico, ac theologo hæc definitio formalis entitatis amoris diuini, sicut non potest concedi definitio formalis Dei, cum quo identificatur ipse amor diuinus. Alio

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 405

Alio modo potest esse defectio, scilicet virtualiter aequivalendo per suam eminentiam deficiendi, & destructioni amoris creati, in quo nulla est imperfectio, ut supra probauimus, sed infinita, & excellentissima perfectio, & ex alio capite est summe necessaria ad explicandum mysterium libertatis diuinae. Nec aliunde datur repugnantia respectu Deitergo hic modus deficiendi amplectendus est.

SVBSECTIO I.

Dilucidatur supradicta doctrina, & aliquae obiectiones, & fallaciae aduersariorum refutantur & dereguntur.

26 IN Deo igitur datur praedicatum quoddam intrinsecum diuinum summe necessarium, quod prae sua infinitate est volitio essentialiter totius obiecti volibilis creati, vel increati, vel odium totius odibilis obiecti, ut ita dicam, siue per actum amoris, & odij simplicem, vel efficacem liberum, vel necessarium, quia actus prae sui excellentia & infinitate respectu aliquorum obiectorum dicitur volitio, seu volitio libera formaliter; quia habet contingentiam intrinsecam non formalem, sed virtutalem, & ita dicitur non; quia formaliter & intrinsecam a parte rei possit volitio diuina deficere, & abire a Deo, sicut potest a mea voluntate abire actus internus, quo Petrum amo, id enim esset contra diuinam immutabilitatem, & necessitatem: dicitur ergo talis volitio diuina contingens contingentia non formali, sed virtuali: unde licet Deus sit formalissime necessarius, & determinatus omnino ad essendum sine ulla defectibilitate formali, nihilominus tamen est contingens, & defectibilis aequaliter, & virtualiter, sicut intellectus diuinus, & voluntas licet habeant identitatem formalem, habent tamen distinctionem virtutalem, & aequivalentiam; quae in hoc consistit, ut intellectus, & voluntas diuina propter suam eminentiam, & infinitam perfectionem sua identitate aequivalent intellectui & voluntati creatis, quatenus distinguuntur realiter, & ratione talis aequivalentiae possint facere id, quod voluntas, & intellectus creaturae faciunt per suam distinctionem; unde sicut intellectus creatus ratione talis distinctionis producit Verbum, quod non producit voluntas creata, ita intellectus diuinus ratione identitatis cum voluntate diuina aequivalentis distinctioni reali realiter producit Verbum connotando relationem Paternitatis, quod Verbum non producit realiter per voluntatem diuinam.

27 Ita similiter, licet actus amoris diuini sit maxime necessarius quoad entitatem, nihilominus tamen propter suam infinitam perfectionem, & eminentiam in tali necessitate, aequivaler contingentia, & defectibilitati creatae in hoc, quod sicut voluntas creata propter suam contingentiam, & defectibilitatem formalem, quam habet in suis actibus potest amare, & non amare; ita ut quando existit amor, deficiat odium, & quando amat realiter non odio habeat obiectum quod amat; ita similiter Deus ratione talis eminentiae, & aequivalentiae amat realiter, ita ut realiter porrigat non amare. Itaque per suam perfectionem summam amat, & non amat sicut

voluntas creata per suam imperfectionem, & quia voluntas diuina ablatis imperfectionibus ex vi suae perfectissimae necessitatis facit id, quod creata propter suam imperfectam contingentiam facit, dicitur aequaliter contingens, non quia possit villo modo realiter deficere: sed quia perinde se habet, ac si realiter, & formaliter posset deficere: nam sicut actus mea voluntatis elicitus, quo diligo Petrum dicitur formaliter contingens & defectibilis, quia realiter potest abire, quo abeunt, mea voluntas non diceretur villo modo realiter amans Petrum, & ideo modo per talem actum existentem in me libere, & contingenter amo Petrum.

Pari modo in Deo est amor liber Petri formaliter, & contingens virtualiter realiter; quia licet intrinseca perfectio talis amoris non possit villo modo formaliter a Deo realiter abire; tamen permanens adhuc, & inuariata formaliter existens in Deo, quia aequivaler amori, & non amori creaturae potest facere Deum volentem, & non volentem Deum, ac proinde quoad denominationem volendi, & non volendi Petrum est contingens virtualiter aut aequaliter, quia perinde se habet, ac si esset contingens formaliter; quia prae sui eminentia existens necessario, aequivaler defectibili, quare eas denominationes oppositas praestat necessario existens, eodem modo ac creatura praestat, non necessario, sed contingenter formaliter existens, unde ita se habet ac si realiter formaliter deficeret; unde denominatio formalis volentis, & non volentis Petrum in Deo formaliter est contingens & formaliter potest abire, licet obiectum talis denominationis non formaliter, sed tantum virtualiter possit deficere, nihilominus tamen Deus modo formaliter amat Petrum, quem si non produxisset, formaliter non amaret, actus tamen intrinsecus amoris, quo amat Petrum, non potest villo modo formaliter abire a Deo; potest tamen ita se habere, ac si vere, & realiter deficeret, quia deficit per aequivalentiam; probatur hoc, tum quia Deus ita eminenter excellens potest considerari ut in opposito formali praedicato eminenti, aut virtualiter contineat aliud oppositum & aequivalere ipsi faciendo id, quod oppositum poterat facere, ut videre est in identitate diuina aequivalente distinctioni sibi opposita, & exercente munus talis distinctionis; quod etiam patet in indiuisibilitate diuina ut supra vidimus aequivalente diuinitati, & extensioni sibi opposita, & exercente munus ipsius: ergo similiter per suam necessitatem in essendo ratione libertatis infinita actualissima, & purissima poterit aequivalere virtualiter, & eminenti continere sibi oppositam contingentiam formalem, & ratione talis aequivalentiae exercere id, quod contingentia sibi opposita exercet, videlicet amando, vel non amando formaliter.

Tum etiam, quia sic facile componitur diuina libertas cum immutabilitate; nam sicut per similem distinctionem virtutalem potest deus praedicata contradictoria subire, videlicet in diuinitate, & paternitate, ita ut communicata diuinitate a Patre Filio, non communicetur paternitas ipsi, utique, quia distinguuntur diuinitas, & Paternitas, virtualiter etiam si identificentur formaliter a parte rei, quia quoad hunc effectum vel quasi effectum perinde se habent, ac si realiter, & formaliter distinguerentur.

E E e 3 sicut

sicut enim Petrus, & Paulus quia distinguuntur realiter formaliter, potest vnus abire, quo alius non abeat, ita Paternitas, & Deitas licet sint idem formaliter, quia distinguuntur virtualiter, potest Deitas ire, vt ita dicam, ad Filium, quo non sit Paternitas quia quoad hoc petinde se habent, ac si distinguerentur, sicut Petrus, & Paulus.

Ita similiter; quia deus quoad actus liberos subit denominationes contingentes, & contradictorias amandi, vel non amandi, & ita amandi Petrum, verbi gratia, vt potuerit non amare ipsum, necesse est, vt obiectum talium denominationum habeat etiam contingentiam, vel formalem, vel virtualem; nam sicut ad saluandas predicationes contradictorias necessarias, conuenientes intellectui, & voluntati diuinæ, diuinitati, & Paternitati, concedenda est in obiecto distinctiua à parte rei sine fictione, aut formalis vt concedit Scotus, aut virtuales, vt concedunt Thomistæ cum D. Thoma, & probationes Doctores Societatis Iesu; ita similiter, & à fortiori ad verificandas predicationes contingentes, & distinctas de diuina voluntate, quibus amat, vel non amat Petrum, & ita amat contingenter, & non necessario, vt potuerit non amare ipsum vere, & realiter, debemus necessario concedere in ipso amore diuino contingentiam realem, & non fidem vel formalem, vt concedit Caietanus cum additione & diminutione, cum corruptione & positione realiter entitatis supra perfectionem diuinam, vel solum virtualis eminentiæ per æquivalentiam; sed non potest concedi villo modo contingentia formalis Caietanica, vt patet euidenter ex supradictis: ergo debet concedi contingentia virtualis eminentissima per æquivalentiam.

Imo à fortiori debet concedi hæc, si conceditur distinctio virtualis, quia distinctionem virtualem oppugnant omnes Scotistæ, & loco illius ponunt distinctionem formalem ex natura rei, at vero in actu libero tam Thomistæ, quam Scotistæ, & doctores Societatis Iesu contra Caietanum concordant, negantes, dari in entitate ipsa diuini actus distinctionem formalem ab ipsa voluntate diuina, & per consequens negantes etiam additionem & diminutionem formaliter, ac tandem maiori consensu negant contingentiam formalem in entitate diuini actus quia docent, actum illum quoad entitatem non posse destrui, & deficere formaliter: erga facilius concedendum est, deum habere denominationes contingentes amando, vel non amando creaturam ratione contingentie virtualis, & per æquivalentiam, quam defendere generationem Verbi per intellectum, & non per voluntatem, ac proinde intellectum, & voluntatem subire denominationes contradictorie oppositas propter solam distinctionem virtualem, quia hoc à tota familia Scotistarum oppugnatur, illud vero ab omnibus, vno excepto Caietano, admittitur.

Sicut verbi gratia, facilius est concedere indiuisibilitatem diuinam extendi ad omnia corporea, & subire denominationes contradictorias presentis, & non presentis eidem corpori, quando destruitur; quæ denominationes sunt intrinsecæ, & non extrinsecæ; ratione extensionis, & diminutionis virtualis in entitate presentie diuinæ, & ratione diuisibilitatis per æquivalentiam, quam prædicata contradictoria communicationis diuinitatis, & non communicationis Paternitatis propter distinctionem virtualem, quia hanc oppugnant grauissimi, & innumeri doctores, illam vero

concedunt: ergo similiter facilius est concedere contingentiam virtualem ad verificandas denominationes contingentes in deo, siquidem omnes negant formalem contingentiam à parte rei, nam si illam concederent, facillimo negotio posset verificari prædicatio contingens de actu libero, sicut ait Caietanus facillimo negotio euadere has difficultates, quia tribuit contingentiam formalem essendi, & non essendi; quia vero hoc videtur expresse contra fidem catholicam, quia concedit separationem realem inter perfectionem diuinam actus liberi, & diuinitatem, ac proinde debet concedere omnimodam realem distinctionem sine vlla identitate reali, quia quæ separantur omnimodo per defitionem vnus & persistentiam alterius, nullo modo identificantur, quod est aperte contra destinationem Concilij remensis decernentis omne quod est in Deo, deum esse; in quo distinguitur hæc opinio à sententia Scotistarum; nam licet Scotistæ tribuant distinctionem formalem ex natura rei inter perfectiones diuinas, nihilominus minus periculose defendunt suam sententiam, quam Caietanus propriam, quia hi negant distinctionem realem, quia dicunt, dari identitatem realem, ex eo quod asserunt, nullo modo posse separari realiter, neque ita se habere, vt vna existente perfectione, destruat alia; quia si hoc dicerent, concederent omnino distinctionem realem sine vlla identitate, quia separatio maxima duorum per defitionem vnus ex illis, & persuerantiam alterius tollit, ac destruit omnem identitatem inter illa ac proinde incidere in hæresim Gilbertinam; sed Caietanus docet, existente volitione necessaria Dei, & voluntate diuina persistente, destrui à parte rei entitatem volitionis citra creaturas formaliter: ergo concedit separationem realem omnimodam: ergo concedit distinctionem realem omnimodam sine vlla identitate reali; quia si identitatem haberent, non possent separari & ideo licet Pater distinguatur realiter à Filio, nullo modo potest separari ab illo per destructionem sui, manente Patre, quia habent identitatem in vna essentia, in o si per impossibile darentur duæ creaturæ, inter quæ daretur distinctio realis secundum indiuiduationem, & ex alio capite daretur identitas in vna indiuisibili essentia simili illi quæ datur in mysterio Trinitatis, non posset destrui vnum indiuiduum, permanente alio quia haberent identitatem in essentia, vnde vt destrueretur vnum, deberent ambo destrui, eo modo, quo asserit Pater Suarez destructa quacunque creatura possibili, non posse destrui omnipotentiam, quin destruat Deus propter identitatem vtriusque: ergo si Caietanus docet destrui perfectionem volitionis dei erga Petrum, persistente voluntate, & deo: ergo sine dubio docet, perfectionem volitionis diuinæ distingui realiter omnimodo sine vlla identitate respectu Dei, quod incidere, in hæresim Gilberti Porretani. Quæ est incidere, in hæresim Gilberti Porretani: Quæ propter nullo modo potest defendi hæc sententia: ergo sine dubio defendenda est contingentia virtualis & eminentialis, ad defendendas predicationes contingentes libertatis diuinæ; sicut qui non vult defendere distinctionem formalem Scotisticam ad saluandas predicationes distinctas, & contradictorie oppositas conuenientes diuinitati, & Paternitati communicationis & non communicationis, necessario debet concedere distinctionem virtualem, quam Thomistæ concedunt: ergo similiter ad saluandas predicationes contingentes in diuinis volendi facere, vel volendi non facere, amandi,

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 407

amandi vel non amandi volendi, vel nolendi, quia ita deus amat, ut contingenter amet, quia non necessario amat creaturas existentes; cum potuerit non amare illas, quæ prædicationes sunt veræ & non falsæ, qui noluerit admittere periculosa contingentiam formalem Caietani in actibus liberis, necessario debet admittere contingentiam virtutalem eminentiæ, & æquivalentiæ, quia sine vlla contingentia siue virtuali, siue formali non potest villo modo concipi, quod eadem volitio diuina potuerit non esse, vel quando vult deus, non potest intelligi quod potuerit non velle.

Solutio Adversariorum refutatur.

Respondent aliqui falsam esse omnem contingentiam tam formalem, quam virtutalem, &c. neque illos indigere illa ad saluandas prædicationes contingentes, quia ad hoc sufficit infinitas diuina, nam sicut propter infinitatem (aiunt) potuit eadem entitas esse eadem & distincta, eadem, & non eadem in personis diuinis, communicari, secundum absolutam, & non communicari secundum relatiua: ita in Dei infinitatem reducendum esse, quod eadem entitas, quæ nunc est volitio potuerit ipsissima esse nolitio; unde in forma respondent, non potuit non habere eandem entitatem, quam habet concedo, non potuit hæc entitas, quam habet, non esse volitio, nego.

Sed contra manifeste quia volitio est essentialiter ens reale, sed non potuit non esse hæc entitas realis: ergo non potuit non esse hæc volitio. Respondent, in creatis tantum habere locum hanc syllogizationem.

Sed euidentius insurgo contra hanc solutionem, nam in diuinis esse volitionem est esse aliquid reale, & velle est velle realiter: ergo non velle, est non habere volitionem realem: ergo est non habere realitatem volitionis.

Præterea in diuinis etiam habet verum, quod ideo in deo est aliquid reale prædicatum, verbi gratia, omnipotentia, quia in deo est talis prædicatum esse, seu essentia realis, & ideo non esse in deo aliquid prædicatum reale, verbi gratia, lapidis quia non est in deo realis essentia, seu realitas essentialis lapidis; sed essentia volitionis diuinæ est essentia realis, seu ens reale: ergo ut non sit volitio in deo, oportet non esse in ipso ens reale, seu entitatem realem volitionis, & eo ipso quod tota realitas volitionis sit sine eo quod deficiat, aut formaliter, aut æquiualeuter, non potest non esse omnimodo formaliter volitio; sed ex dictis patet, in deo non potuisse non esse omnem realitatem formalem, quam habet: ergo aut non est essentialiter posita volitio in hac reali formalitate, sed in ente rationis aut in denominatione extrinseca; aut sicut illa realitas Dei non potuit non esse, neque formaliter, neque æquiualeuter, ita neque hæc volitio.

Item in diuinis etiam si detur infinitudo, valet necessario negare inferius, negato superiori, verbi gratia, deus non est animal: ergo non est homo, deus non est corpus: ergo non est lapis. Item valet in diuinis, nulla realitas potest desinere in deo: ergo non potest desinere sapientia, iustitia, &c. ergo etiam hæc valet; non potuit deo deesse realitas aliqua, vel formalitas realis, quam habet: ergo neque potuit deesse hæc volitio; patet consequentia; nam hæc volitio est quid inferius ad realitatem diuinam. Ad hæc, hæc est euidentis consequentia, Pater ut Pater est aliquid reale rela-

tium; sed Pater ut sic non est Filius: ergo aliquid relatiuum in diuinis non est filius, & sic realitas relatiua Patris non est realitas relatiua Filij: ergo similiter hæc est optima syllogizatio, volitio, ut volitio est aliquid reale; sed volitio, ut volitio potuit non esse: ergo potuit non esse aliqua realitas. Denique potuit deesse volitio: ergo potuit deesse aliquid: ergo potuit deesse ens reale; nam aliquid, & ens reale conuertuntur, & sunt synonyma.

Respondent, quando ratio est omnino absoluta nihil extrinsecum respiciens, neque connotans, impossibile esse, etiam in diuinis potuisse vni rationem aliquam, seu prædicatum deficere, quin deficeret aliqua realitas, vel realis formalitas intrinseca, secus est si præter id, quod ratio intrinseca importat in recto, requiratur aliquid aliud in obliquo, hoc enim obliquum, & connotatum de nouo existens, quod ita est, ut potuerit non esse, satis est ut dicatur, & sit vere deus ita volens illud obiectum connotatum, ut potuerit non velle illud.

Sed contra hanc solutionem primo, insurgunt omnia argumenta supra facta *sektionis præcedentis questionis*, ubi oppugnauimus configuentes ad connotata extrinseca, & volentes saluare contingentiam actus liberi per contingentiam connotati extrinseci; nam sicut actus liber non constituitur per connotatum, ita neque contingentia, & indifferentia illius constituitur per contingentiam connotati; quod adeo verum est, ut si actus liber non haberet libertatem, indifferentiam, & contingentiam vllam; sed omnino esset necessarius, connotatum nullo modo esset contingens; sed omnino necessarium, quod latissime supra demonstro, videantur ibi dicta: ergo nullius momenti est solutio.

Secundo contra sic insurgo, quia in diuinis Pater ut sic connotat Filium, & tamen non satis est realis filiatio à Patre connotata, ut realis essentia Patri, & Filio communis dicatur, & sit Pater, nisi Pater addat ratione nostra essentia realem Paternitatem, quæ ita distinguatur à Filio, ut si per impossibile deficeret filiatio, & Paternitas, & sola maneret essentia, Pater non per hoc solum quod filiatio connotata desineret esse, desineret esse Pater; sed quia deficiente Filiatione connotata, consequenter deficeret in Patre realis Paternitas, seu realitas Paternitatis. Contra præterea; quia stante eodem connotato, v. g. eodem prædestinato, eisdem mediis, & gratiis externis, atque prædestinationis effectibus, præuento, adiuto, & ornato, potuisset deus, sicut illum elegit de facto ante præuifa merita, eligere post præuifa merita, ut suo loco ostendam: peto ergo in quo consisteret illa distinctio affectuum, dum nunc voluit, seu elegit ante præuifa merita; tunc autem vellet seu eligeret post præuifa merita: hæc enim distinctio affectuum reduci non potest in diuersum obiectum connotatum. Denique connotatum non est essentia recti, sed requiritur ad essentiam recti; quod si essentia recti sine connotato manserit, non potest dici illud connotatum requiri ad essentiam recti; manet autem essentia recti, si hoc non est ens rationis quandiu manet tota eius realitas; unde si ad huius recti realitatem non requiritur illud connotatum, neque requiritur ad essentiam recti, & ideo dicimus, obiectum præsens esse connotatum requisitum ad nostræ visionis intuitiue essentiam actualem; quia requiritur ad omnem realitatem visionis intuitiue, quod si hæc cum omni reali-

tate maneret absque obiecto obiectum non esset visio neque requireretur ad visionem: si ergo obiectum à Deo volitum non est, ipsa Dei volitio, neque requiritur ad realitatem ullam volitionis diuinæ, sane absque obiecto illo manebit tota essentia volitionis, & consequenter manebit ipsa volitio, quod si hæc sine obiecto manere non potest, ideo erit, quia obiectum requiritur ad realitatem illam volitionis.

Tandem, quia infinitudo in Deo si non coniungatur aut cum distinctione formali Scotica, aut cum distinctione virtuali Thomistica, non potest saluare cum veritate prædicata distincta, & contradictorie opposita, quæ conueniunt diuinitati, & paternitati, supposita identitate reali formali inter tales formalitates diuinas; unde etiam si concedas infinitatem inter diuinitatem, & personas, non poterunt verificari prædicata supradicta; si ex alio capite destruis distinctionem, aut formalem à parte rei, aut virtualem, ut tu ipse fateris in hoc mysterio. Item non potest saluari cum veritate, quod Deus qui formaliter indiuisibilis est, extendatur sine interruptione per corpora, & loca extensa, ac proinde subeat prædicationes, & denominationes extensionis, (idem est in Angelo, & in anima rationali) etiam si detur in Deo infinitudo, si ex alio capite non habeat extensionem, & diuisibilitatem virtualem, eminentialem, & æquivalentiam; unde quando interrogatur à te cur Deus cum sit indiuisibilis formaliter, & formaliter inextensus, extendatur, seu sit præsens toti huic cubiculo sine interruptione, se habendo in hoc, ac si esset corpus, si vis tribuere rationem immediatam, non debes confugere ad infinitudinem; quia Angelus etiam potest esse præsens toti huic cubiculo continue sine interruptione, sicut anima est in toto corpore, & nihilominus neque Angelus neque anima habent infinitudinem: ergo debes tribuere pro ratione proxima, & immediata tam in Deo, quam in Angelo, & anima extensionem, seu diuisibilitatem virtualem, licet verum sit quod pro ratione infinitæ præsentia Dei per omnia spatia reddenda sit infinita virtualium extensio. Itaque pro certo in bona Theologia habendum est nullo modo posse verificari de Deo prædicata opposita, & distincta sine distinctione formali, aut virtuali, & prædicata extensionis quoad præsentiam non possunt verificari de Deo sine extensione, aut formali, aut virtuali in ipso, quia prædicationes, aut denominationes diuinæ petunt fundamenta suæ verificationis proportionata sibi: sed de Deo verificantur prædicata contingentia, seu contingentes denominationes amandi, vel non amandi, volendi, vel nolendi: ergo à paritate rationis etiam si detur infinitudo in Deo, non poterunt verificari de Deo sine aliqua contingentia aut formali, aut virtuali: sed per te quia non admittis distinctionem formalem, verificantur prædicata distincta, & contradictorie opposita propter distinctionem virtualem, & quia non admittis, nec potest admitti secundum fidem catholicam extensio, & diuisibilitas formalis in ordine ad locum in deo, verificas prædicationes, & denominationes existendi præsentialem, & extensionis Dei sine ulla interruptione per infinita corpora, & spatia per extensionem, & diuisibilitatem virtualem, sine qua negata formali non potest saluari,

quod Deus extendatur per omnia corpora, & sit præsens omnibus locis infinite extensis.

Ergo à paritate rationis evidenter, & necessario sequitur, non posse verificari denominationes, & prædicationes contingentes in actibus diuinæ voluntatis sine contingentia virtuali, eminentiali, & æquivalentia eorundem actuum liberorum Dei supposito quod negatur ut negari debet secundum fidem catholicam omnis contingentia formalis ad essendum, & non essendum formaliter à parte rei in ipsis actibus liberis, neque ulla ratio differentia, & discriminis potest ex cogitari ad negandam veritatem contingentia virtualis, quam tribuimus Deo, supposito, quod aduersarii admittunt distinctionem virtualem, & omnes Theologi, nullo exemplo, extensionem, & diuisibilitatem virtualem æquivalentem formali, & eminenter continentem illam.

Quadam obiectio ponitur, & diluitur.

Dices, ex hac tota nostra doctrina sequi, in Deo non dari libertatem formalem, sed solum virtualem; patet consequentia: quia libertas nihil aliud est, quam contingentia: sed per te in Deo non datur contingentia formalis, sed solum virtualis, & per æquivalentiam: ergo in Deo non datur libertas formalis, sed solum virtualis, & per æquivalentiam.

Sed contra manifeste, quia hæc obiectio aduersariorum fundatur in confusione, & non distinctione harum formalitatum indifferentia, contingentia, quæ maxime differunt, & una est constitutum formale libertatis, & altera non est constitutum sed requisitum, aut conditio ad libertatis usum, itaque indifferentia est definitio libertatis, quare si indifferentia non sit formalis in Deo, non erit formalis libertas ipsius, quia autem nos concedimus indifferentiam formalem in Deo ad amandum, & non amandum, hoc est ad volendum facere creaturam, seu communicare aliquod bonum illi, vel ad volendum non facere illam vel non communicare ipsi tale bonum, ideo concedimus libertatem formalem in Deo, & quia contingentia ad essendum & non essendum secundum nostram sententiam; imo secundum veritatem ipsam, non est constitutum formale libertatis, sed solum requisitum aut conditio etiam si sit tantum virtualiter, aut æquivalenter, non destruit libertatem formalem, nec reddit illam virtualem, & æquivalentem; exemplum est manifestissimum per intellectum diuinum generat formalissime Patrem Verbum, & per voluntatem non generat formalissime ipsum, quod generare, & non generare non destruit, nec reddit virtuale solum, aut æquivalenter distinctio, quæ datur in Deo inter intellectum, & voluntatem, ex eo quod non sit formalis à parte rei, sed solum virtualis, & ratio est manifesta, quia distinctio, licet sit prærequisitum, & conditio, & nullo modo constitutum formale generationis Verbi, &c. aut definitio eius non potest tollere formalitatem definiti, quam tolleret sine dubio, si esset constitutum formale, unde cum definitio generationis tui formale, unde cum definitio generationis tui sit productio seu processio viuentis à vi-Verbi sit productio seu processio viuentis à vi-Verbi sit productio seu processio viuentis à vi-Verbi sit productio seu processio viuentis à vi-

ente coniuncto in similitudinem individuum, & maximam eiusdem nature &c. hæc sit formalis distinctio, quæ solum conditio est, sit virtualis.

Aliud exemplum declarat amplius, & minimam æque veritatem præsentem. Cælum in probabili opinione

Quæst. II. In quo consistat actus liber Dei. 409

opinionem immediate per suam substantiam solum ut aiunt Scotistæ, & P. Hurtado, immediate suppositi, aut ut ait, P. Suarez cum alijs gravissimis Doctoribus, immediate suppositi, & virtutis producit mineralia in visceribus terræ, aut lucem maxime intensam in speculo, cum proximior speculo lux non sit tam intensa; quando autem interrogatur ab his quomodo cælum, cum sit formaliter separatum tanto intervallo possit producere mineralia, cum omne agens debeat esse approximatum passo ad producendum formaliter esse. Cum Respondent optime quidem ad productionem formalem non requiri approximationem formalem agentis cum passo, sed solum virtuale, hoc est ratione sphaeræ virtutis ipsius, & reddunt rationem, quia approximatio est solum conditio ad productionem & non constitutum formale illius, conditiones autem sufficientiunt virtualiter esse, dum tamen constitutum formale seu definitio formaliter & non solum virtualiter detur.

Ita similiter in nostro casu; contingentia non est definitio, aut constitutum formale libertatis; quia hoc est indifferentia ad amandum, vel non amandum: ergo bene potest esse contingentia virtualis in Deo, quia est solum conditio ad usum libertatis, etiam si in Deo detur libertas formalis, quia in Deo datur formalis indifferentia ad volendum facere, vel volendum non facere; quæ indifferentia non est in hoc sita, ut per diversos actus realiter, & formaliter distinctos, amet, vel non velit amare, sed potius per eandem entitatem actus, quatenus est plures virtualiter.

Itaque tota difficultas huius puncti petit, ut demonstremus contingentiam, & indifferentiam, non esse eandem formalitatem, sed diuersam, ac proinde vnam posse esse virtualiter in Deo, aliam formaliter, quo probato, omnis difficultas contra nostram opinionem evanescet, & corruet. Quod sic demonstro primo, nam secundum fidem catholicam, & omnes Doctores Theologos, imo secundum euidens lumen naturale in Deo datur formalissima libertas, & nihilominus fides catholica docet & omnes Theologi, vno excepto Caicetano, in Deo non dari contingentiam formalem ad essendum, & non essendum, quia omne quod in Deo est, quatenus à se est, & non ab alio, omnino necessarium est quoad existentiam: ergo secundum fidem catholicam, & omnes Theologos dicendum est, tanquam certum, libertatem formalem ad amandum, vel non amandum, non esse idem, ac contingentiam formalem ad essendum, & non essendum, sed potius distinguere realiter omnino; quia separatur realiter in Deo, siquidem existente formali libertate in ipso à parte rei, non existit formaliter à parte rei intra ipsum contingentia ad essendum, & non essendum, ad hoc ut sit, vel ut destruat aliquam formalitatem intrinsece existentem in Deo.

Et ex alio capite concedendum est dari in Deo prædicatum formale, per quod definitur formaliter libertas, & sit idem formalitatem cum illa, ac per consequens distincta realiter à contingentia formali: sed hæc non est alia nisi indifferentia, ut patet ex definitione libertatis ut sic (adducta ab omnibus Theologis, ut videre est apud Patrem Suarez tom. 1. de gratia, prælogo nono v. c. 3. per totum) quæ sic se habet, est indifferentia positis omnibus requisitis ad virtutem liberæ; quod alijs verbis solet dici ut ait Nemef. lib. de natur. homin. v. c. 3. liberum est, si eisdem positis, esse aliquando appetere aliquid quando refugere, vel aliter, est potestas, quæ positis

omnibus requisitis, potest velle, & non velle, per quæ verba indifferentia ad volendum, & non volendum declaratur; quia idem est posse facere, & non facere, posse velle & non velle, ac esse indifferens ad volendum, & non volendum; ergo libertas diuina formaliter est formalis indifferentia ad velle & non velle, ad velle & non velle, quia quidquid convenit superiori; convenit omni contento sub illo secundum illud principium dici de omni, in quo aduerte, etiam si omnes per indifferentiam definiant libertatem formalem divinam vel libertatem ut sic, nihilominus tamen nulla est recepta definitio libertatis in qua ponatur expresse contingentia formalis, cuius nulla ratio potest reddi, nisi quia omnes Doctores iudicant, indifferentiam formalem esse dignam Deo (unde ipse P. Herize tract. 2. disp. 11. de existentia diuina voluntatis, cap. 3. num. 19. conuertit libertatem cum indifferentia his verbis: quæ quidem ut sic indifferens est ad proximam cognoscibilitatem, & appetibilitatem, & ad ipsarum negationem, atque ab utroque præscindit, quemadmodum facultas libera ut sic in actu primo indifferens est in ordine ad omnem determinationem, ab omni præscindit.)

Ecce ubi definit libertatem ut sic per indifferentiam ut sic; quia libertas ut sic non potest intelligi sine indifferentia; quia est constitutum formale, & definitio expressa illius, & contingentiam formalem esse indignam ipso propter imperfectionem essendi, & non essendi, essendi, & definendi oppositam summæ necessitati Dei in essendo, & ideo licet omnes catholici fateamur, Deum esse liberum formaliter, nullus est ausus dicere huc usque; Deus est contingens formaliter: ergo contingentia distinguitur realiter à libertate, & per consequens ab indifferentia; quæ est definitio formalis libertatis: ergo non valet argumentum, Deus habet contingentiam solum virtualem: ergo solum habet libertatem virtualem & non formalem; sicut sol non habet calorem formaliter, sed solum virtualiter: ergo non habet lucem formaliter; nam lux, & calor distinguuntur realiter, sicut contingentia & libertas; valeret autem argumentum, si contingentia, & indifferentia essent idem; nam indifferentia, & libertas sunt idem formalissime; cum ergo contingentia, & indifferentia distinguantur, & indifferentia & libertas identificentur, licet non detur contingentia formalis in Deo, poterit esse in ipso libertas formalis ad amandum, & non amandum, quia est indifferentia formalis ad illa.

Secundo sic demonstratur in creaturis. Nam in actu libero creato datur sola indifferentia, & libertas extrinseca, & ideo idem actus potest transire de necessario in liberum, ut P. Suarez late docet cum communi sententia in metaphysica, quæ libertas redundat in actum ex libertate voluntatis cum plena cognitione intellectus aduertentis omnia; si autem intellectus non aduertat, erit actus primo primus, ac proinde non liber, sed necessarius. Aduertentia autem intellectus, & reliqua extrinseca omnino sunt respectu actus voluntatis, atque ideo denominatio liberi in actu, quæ sumitur ab illis, extrinseca est respectu talis actus, & nihilominus actus liber creatus intrinsece est contingens, quia ex vi suæ naturæ intrinseca est corruptibilis, & ita est ut possit non esse, omnis enim creatura, quia talis est, contingens est intrinsece, quare cum formalitates contingentia, & libertatis, aut indifferentia respectu diuersorum sint, quia contingentia est respectu propriæ

FFF existentia;

existentiæ, & libertatis, seu indifferentia respectu libertatis, voluntatis, & aduertentiæ intellectus. Et ex alio capite contingentia est intrinseca indifferentia, & libertas extrinseca in actu; euidenter sequitur, contingentiam, & libertatem, seu indifferentiam distingui realiter inter se; quia eadem entitas non potest esse intrinseca, & extrinseca simul in eodem subiecto. Præterea si consideremus has omnes formalitates in potentia voluntatis, tam contingentia quam libertas, & indifferentia sunt intrinsece formalitates respectu voluntatis, quia voluntas, sicut est intrinsece libera, est intrinsece indifferens, & etiam est intrinsece contingens; sed cum hoc discrimine, quod non respectu illius, in ordine ad quod est contingens, & etiam indifferens, & libera, sed potius respectu distinctorum realiter ab illo; nam voluntas est contingens respectu propriæ existentie; quia potest esse, & non esse, si Deus conferret ipsam vel suspendat concursum, quo conseruat illam; itaque respectu sui, & dei dicitur contingens, unde potius absoluta denominatio est contingentia, quam relatiua, quia nihil refertur realiter ad suam existentiam, cum existentia sit idem, quod res, cuius est existentia.

29 Dicitur autem libera voluntas & indifferens in ordine ad suos actus, & non in ordine ad suam existentiam; unde non dicitur indifferens aut libera, quia potest esse & non esse formaliter, sed potius quia potest amare, & non amare formaliter, & quia habet plenum dominium circa suos actus, ratione cuius potest se determinare ad amandum, quando potest se determinare ad non amandum, quia in manu, ac potestate illius est amare vel non amare, quando voluerit, sine eo quod possit recurri ad aliam causam talis determinationis ad amandum potius, quam ad non amandum, quod optime docuit Anselmus *lib. de casu diaboli, cap. 27*, cum enim rogaretur à discipulo de nostra voluntate: [cur ergo voluit (magister respondet) non nisi quia voluit; nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, quæ impelleretur aliquatenus, aut attraheretur; sed ipsa sibi causa efficiens fuit, si dici potest effectus;] nam si interrogas de nostra facultate libera, quare ergo obiectum amore, & odio dignum afficit amore, & non odio; aut quare odio potius quàm amore, cū præxiterit in potentia proxima ad quodlibet; responsio non debet recurrere ad aliquam antecedentem determinationem, aut physicam, aut moralem, sed responderi debet quia habet dominium circa suos actus, ac proinde est principium indifferens, & in manu ipsius positum est, aut amore, aut odio afficere obiectum, quod dominium est causa, ut ipsa voluntas sibi hanc eligendi potestatem habeat, quæ possit quando voluerit, & quomodo voluerit se reducere, & determinare ad hunc, vel illum actum; itaque non debemus respondere, quia ipsa se determinat ad volendum, ita ut intelligamus determinationem aliquam præcedere volitionem seu actionem immediate liberam, sed quia se determinat ipsa volitione, quæ est formalis determinatio, ratione cuius in supradictis verbis dixit Anselmus, [non nisi quia voluit,] ubi aduerte causalem illam, quia voluit diuersum habere sensum, cum applicatur ipsi volitioni, seu actioni, quæ immediate libera est, & cum applicatur effectui extrinseco ut motioni alicuius membri. Nam si fiat interrogatio, quare hæc voluntas edidit amorem & non odium? cum respondemus, quia voluit, non reddimus causalem per causam efficientem,

prædeterminantem aut quoquomodo præsuppositam ad amorem, nam pono omnia præsupposita, atque prærequisita omnem retinere indifferentiam, & prorsus æqualiter se habere ad amorem, & odium; & tunc secundum meliorem Theologiam odium, vel amorem intelligere in exercitio potest; reddimus ergo causam formalem, non necessariam, ut cum dicimus ideo homo albus est, quia habet albedinem, sed liberam in se continentem ipsum liberum exercitium, ac si diceremus, cum se potuerit inflectere pro arbitratu, & libito proprio ad utramvis partem, quia se inflectit ad amorem ipsum eliciendum, actione libera, ideo amat.

At vero cum ea causalis applicatur effectui extrinseco, ut motioni manus, cum dicimus, mouet manum, quia vult, assignamus causam efficientem seu tenentem se ex parte efficientis, quatenus facultatem motricem determinat ad motum; ita ut volitio sit causa motus; quod etiam in Deo est verum; quia ideo deus facit aliquid, quia vult facere ita ut volitio libera dei sit causa effectiōis create; cum hoc tamen discrimine, quod creatura quando vult, ut faciat aliquid, prius facit in seipsam volitionem per vera efficientiam, & productionem qualitatis amoris in seipso; Deus autem sine vlla efficientia, emanatione, aut productione formali sui amoris vult facere per solam emanationem, & productionem virtutalem amoris à voluntate, quia cum amor seu volitio solum virtualiter, & non formaliter distinguatur à deo, solum virtualiter & non formaliter debet emanare à voluntate diuina.

Ex quibus manifeste patet maxime distingui contingentiam à libertate, & indifferentia propter rationes dictas: ergo bene potest esse formaliter in Deo indifferentia & libertas ad amandum, & non amandum; quia ita amat formaliter hanc creaturam, ut potuerit non amare illam formaliter; licet non detur in ipso contingentia formalis ad hoc ut sit, & non sit actus liber.

Dices, per vos deus potest formaliter amare, & non amare: ergo potest esse, & non esse amor formaliter; sed esse & non esse arguit contingentiam formalem: ergo in deo datur contingentia formalis, si datur indifferentia formalis ad amandum, & non amandum.

Sed contra manifeste, quia à verbis adiectiuis ad substantiua non valet consequentia in diuinis, neque è contra à verbis substantiuis ad adiectiua potest fieri syllogizatio; v.g. verum est dicere diuinitas est Pater, & Pater est diuinitas, & nihilominus non est verum dicere, ergo diuinitas generat, quia Pater generat; nam quod Pater generet, & Pater sit diuinitas, est propositio de fide catholica, & nihilominus est hæretica, diuinitas generat; Item hæc est vera propositio, Paternitas est diuinitas, Paternitas non communicatur Filio, & nihilominus hæc est hæretica; diuinitas non communicatur Filio; Item bene dicimus, iustitia est misericordia, & misericordia misereatur, aut misericordia punit, ex eo quod sit idē cum iustitia, & ratio est, quia verba adiectiua continent sensum formalissimum, quem non continent verba substantiua; sed solum identicum, & materiale; unde mutatur appellatio sensus, quando ex vno verbo ad aliud fit syllogizatio, ita similiter, & proportionali modo non potest argui ab indifferentia ad essendum, & non essendum, quæ contingentia dicitur, ad indifferentiam ad amandum, vel non amandum; neque è contra potest argui à potestate amandi, & non amandi ad potestatem essendi, & non essendi; quia

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 411

quia arguitur à verbo adiectiuo ad substantiuum vel è contra à verbo substantiuo ad adiectiuum quia mutatur appellatio sensuum; nam potestas seu indifferentia, quæ significatur per verbum adiectiuum, amandi, & non amandi est indifferentia libertatis, & domini; quæ libertas formalissime dicitur; potestas autem & indeterminatio significata per verbum substantiuum, *sum, es, fui*, & sic ad essendum, & non essendum formaliter, non est indifferentia libertatis, seu dominatiua potestas voluntatis circa suos actus, quæ formalissima libertas dicitur, sed potius est contingentia formalis distincta à libertate, & indifferentia formali, quam omnes Theologi negant, in Deo dari concedentes indifferentiam, & libertatem formalem ipsi, & ideo omnes Theologi fatentur, tanquam articulum de fide Deum esse formaliter indifferentem ad amandum, & non amandum creaturas existentes, vel futuras, & nihilominus omnes negant, tanquam apertam hæresim dicere Deum esse contingentem formaliter ad essendum, & non essendum, seu Deum habere indeterminatorem ad existendum, & non existendum, cum potius quia est à se, sit necessario per essentiam determinatus ad existendum sine vlla indeterminatorem ad non essendum: ergo bene potest Deus esse indifferens formaliter ad amandum, vel non amandum, & nihilominus non esse formaliter indeterminatus, aut indifferens, vt sit in ipso, vel non sit in ipso amor, eo modo, quo in creaturis verificatur; nam in illis verum est dicere, creatura intellectualis non solum est indifferens, vt amet, vel non amet formaliter, sed etiam habet suam indeterminatorem vt sit, vel non sit amor in illa, & vt existat amor & etiam vt destruat, corrumpatur, & deficiat amor in illa formaliter; & ratio est quia in creatura non solum datur indifferentia formalis respectu amoris, quæ est libertas formalis, sed etiam datur formalis contingentia ad essendum, & non essendum, non solum in propria entitate, sed etiam in propriis actibus, qui possunt formaliter existere, & corrumpi propter rationem creaturæ, quæ datur in illis; itaque creatura habet indeterminatorem ad essendum, & non essendum in propriis actibus, non ratione libertatis formalissime vt sic præcisa, sed potius ratione contingentie formalis propriæ creaturæ; habet autem indifferentiam ad amandum, & non amandum formaliter propter libertatem & non propter contingentiam; ex quo manifeste patet, non fieri illationem rectam ab indifferentia formali amandi, & non amandi ad contingentiam essendi, & non essendi formalem, quæ lato modo indifferentia dicitur ad essendum, & non essendum: quapropter indifferentiam amandi, & non amandi concedimus formaliter in Deo, negamus tamen contingentiam, quia Deus per entitatem suam necessariam ratione infinitæ suæ perfectionis, & actualitatis amat & non amat sine destructione, & diminutione formali per solam additionem, & diminutionem virtutalem, seu æquivalentem, vt late supra explicuimus, & amplius hoc patebit ex dicendis.

Tertio sic argumentor principaliter; quia esse indifferens, seu indifferentia formalis ad amandum, & non amandum, quatenus dicit dominium formale, & potestatem ad vtrumlibet, est perfectio simpliciter simplex; quia melius est, cuiusque subiecto habere illam, quam carere illa, & quam habere oppositum illius; vt quæ-

I. P. Tom. II.

stione prima huius disputationis late demonstrauimus: sed potestas ad essendum, & non essendum, hoc est non repugnantia vt res existat, & destruat formaliter, seu vt desinat esse formaliter est maxima omnium imperfectio: ergo non sunt omnino idem, sed potius distinguuntur, ac proinde prima datur formaliter in Deo; secunda solum virtualiter, aut eminenter, verbi gratia, ratio entis, aut substantiæ secundum se est perfectio simpliciter simplex, & ideo formaliter datur in Deo; & è contra vero corruptibilitas, aut mortalitas nullo modo datur formaliter in Deo, quia dicit imperfectiorem, ex quo colligimus, licet in creatura identificetur realiter secundum se in omni subiecto non petere identificationem, sed potius posse separari, vt videre est in Deo: ergo similiter, licet indifferentia voluntatis, & contingentia identificentur in creatura propter imperfectiorem creaturæ, quæ petit libertatem corruptibilem, & defectibilem, nihilominus tamen non ita se habent, vt necessario identificentur in omni subiecto formaliter etiam si subiectum sit perfectissimum & infinitum, nec ita reciprocantur, & conuertuntur, vt in quocunque reperitur libertas, & indifferentia formalis, necessarium sit, vt reperiat contingentia formalis, alias indifferentia & libertas, vt sic in suo conceptu formalissimo dicerent imperfectiorem, & non possent depurari, aut defæcari ab omni fœce imperfectiōis, sicut contingentia nunquam potest præcindi ab imperfectiōe, quod est falsissimum & ideo concedimus, vt iam sæpe dixi libertatem, & indifferentiam formalem ad amandum, & non amandum, ita omnes Theologi catholici, tanquam fide sanctum, & negamus contingentiam formalem ad essendum, & non essendum propter perfectionem simpliciter simplicem vnius, & imperfectiorem alterius: ergo contingentia formalis ad essendum, & non essendum secundum se potest distinguere realiter, & de facto distinguitur, & separatur à parte rei à libertate formali, seu indifferentia & perfectissimo dominio amandi, & non amandi: ergo contingentia non est constitutum formale indifferentiæ, & libertatis, licet sit requisitum, vel conditio, ac proinde sufficit quod in Deo sit virtualiter, æquiuvalenter, & eminenter, existente in ipso formaliter indifferentia amandi, & non amandi.

SVBSECTIO VLTIMA.

Tertia conclusio ponitur.

Supposita contingentia virtuali, aut æquiu-
30
alentia potest optime Deus subire deno-
minationes, & prædicationes contingentes aman-
di, & non amandi formaliter perfectiori mo-
do, quam creaturæ subeunt illas; itaque sicut
creatura facillime intelligitur amare, & non
amare, quia habet contingentiam formalem,
imperfectam tamen, ita similiter, sed perfectio-
ri modo sine vlla imperfectiōe supposita in-
differentia formali, ratione contingentie vir-
tualis æquivalentiæ, & eminentiæ poterit in-
telligi sine vlla difficultate amans, & non
amans. Probat hoc breuiter, quia quoties
Fff 2
cunque

cunque aliquod subiectum æquualet alteri potest exercere formaliter munus alterius, & se gerere in illo ablatis imperfectionibus, ac se habere illud, cui æquualet, v. g. quia Prorex per suam formalem dignitatem æquualet Duci militiæ, gubernatori ciuitatis & alijs huiusmodi muneribus potest exercere omnia illa formaliter eo modo, quo Dux, & gubernator exercent, & quia sensus communis exercet munus vniuersi cuiusque percipiendo obiectum cuiuscumque ex illis vnde percipit visibile, hoc est colorem; item percipit sonum, & cætera obiecta.

Clarius, quia ea quæ distinguuntur formaliter à parte rei possunt esse subiecta affirmationum, & negationum sine vlla repugnantia contradictionis, vt videre est in intellectu creato & voluntate; nam intellectus producit verbum mentis realiter, & voluntas realiter non producit illud; ita similiter, quæ distinguuntur æquualementer, seu quæ habent distinctionem æquualementem possunt esse subiecta affirmationis, & negationis sine vlla repugnantia & oppositione contradictionis, & ideo ratio entis, quæ est in Angelo conuenit realiter cum Deo, & ratio creaturæ quæ est in Angelo, & non distinguitur in Angelo à parte rei formaliter ab ipsa ratione entis existentis in ipso non conuenit realiter cum Deo propter solam distinctionem æquualementis; item per intellectum diuinum vt sæpe dixi, licet sit idem formaliter cum voluntate diuina producit Verbum diuinum realiter, & per voluntatem diuinam realiter non producit propter solam distinctionem æquualementis, quæ reperitur inter illas perfectiones, præterea anima rationalis non minus informat continue sine interruptione totam materiam primam, quam anima equi etiam informat ratione suæ extensionis, & diuisibilitatis formalis, non quia anima rationalis sit extensa, & diuisibilis formaliter, siquidem habet oppositam perfectionem scilicet in extensionem, & indiuisibilitatem formalem, ex eo quod substantia spiritalis est, exercet autem hoc munus eodem modo ac anima equi, ablatis imperfectionibus, ratione extensionis, & diuisibilitatis virtualis seu æquualementis.

Et ratio à priori est manifesta; quia id, quod æquualet alteri, æque potens est, ac illud, cui æquualet ad exercendum id quod alterum exercet, vt patet ex ipsis terminis, alias non erit æquualet illi, vt ex terminis patet; vnde, si hoc quod dicimus non est verum, dicant nobis aduersarij, quid sit æquualet vnum alteri, certe non est aliud, vt dixi nisi vnum posse facere id ipsum, quod alterum facit, etiam si non sint idem formalissime; sed id, quod æque potens est, ac alterum vel sufficienter potest facere id, quod alterum facit, potest exercere munus quod ipsum formalissime exercet: ergo si in Deo datur contingentia æquualementer respectu suorum actuum sine dubio poterit Deus se habere, ablatis imperfectionibus, sicut se habet creatura ratione suæ contingentie formalis; sed creatura ratione contingentie formalis poterit subire denominationes, & prædicationes contingentes, & poterit aliquando denominari volens, & aliquando denominari non volens formaliter, quia aliquando existit formaliter volitio, & aliquando deficit formaliter: ergo ex sola contingentia virtuali, seu æquualementi formali creaturæ poterit Deus subire denominationes, & præ-

dicationes contingentes; quia licet volitio semper existat formaliter, nihilominus deficit æquualementer, aut virtualiter, ratione cuius ita se habet, ac si vere & realiter non haberet entitatem volitionis, quia si ita elicitur à voluntate, vt poterit non elici virtualiter, nec esse entitatem virtualiter in voluntate, licet semper sit realiter formaliter entitas volitionis, poterit quidem ratione huius virtualis contingentie adesse, & abesse in Deo denominatio volentis, ac per consequens poterit amare, & non amare, quia vt Deus amet non solum requiritur vt sit amor formaliter in Deo, sed etiam vt non deficiat virtualiter aut æquualementer, quia si deficit virtualiter, etiam si sit formaliter amor, erit quasi non esset, ac proinde erit quasi mortuo modo ad denominandum, ac proinde non denominabit neque constituet Deum amantem, quemadmodum ad hoc vt pater realiter formaliter communicet Filio Deitatem & non communicet Paternitatem, sufficit distinctio virtualis inter illa; vnde etiam si datur identitas formalis, quæ videbatur impedire verificationem communicationis diuinitatis, & non communicationis paternitatis, nihilominus tamen, quia ita est identitas formalis, & formaliter vt desinat virtualiter, seu sit distinctio virtualis hoc sufficit, vt identitas illa sit quasi mortuo modo ad impediendas prædicationes contradictionis, & solum quasi præualeat distinctio virtualis seu negatio virtualis identitatis, quapropter eodem modo verificantur tales prædicationes affirmatiuæ, & negatiuæ, ac si identitas formalis non esset, & ac si esset distinctio formalis; vnde tam verum est dicere per intellectum realiter generatur Verbum, & per voluntatem non generatur Verbum, quando datur distinctio virtualis, etiam si datur identitas formalis ac si nulla identitas formalis daretur, sed omnimoda distinctio realis formalis à parte rei: ergo pari ratione contingentia virtualis sufficit ad illam realem, & formalem denominationem amantis, vel non amantis, ac si esset contingentia formalis, & nulla daretur necessitas formalis; quia contingentia illa virtualis æquualet contingentie formali, ratione cuius exercet se, vt ita dicam, ac si esset formalis contingentia, & ac si omnino deficeret necessitas simpliciter formalis, quia formalitas quasi mortuo modo est, quando existit formaliter, ad constituendum, & denominandum, si ex alio capite deficit virtualiter, aut æquualementer; quia ad denominandum & constituendum vtrumque requiritur scilicet vt formalitas sit formaliter in Deo, & non deficiat æquualementer, aut formaliter: ergo non mirum quod per eandem entitatem amoris semper formaliter existentem in Deo necessario, constitutur, & denominetur contingentem amans, ita vt aliquando amet, aliquando non amet; quia licet semper sit formaliter, nihilominus est contingens virtualiter, & ideo aliquando deficiat, & desinit esse virtualiter, quod sufficit, vt non tribuat vel quasi tributum suum ad æquatum effectum, vel quasi effectum formalem. Nam licet contingentia formalis ex eo quod corruptibilitatem sonet, & mutabilitatem non possit concipi sine imperfectione, vt docuit Aristoteles lib. 9. met. cap. 9. text. 17. parum à principio, his verbis: [quod est possibile esse, contingit esse, & non esse; quod vero est possibile non esse, contingit non esse; quod autem con-

ant

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 413

aut hoc ipsum, quod dicitur contingere non esse, siue secundum locum, siue secundum quantum, siue secundum quale,] & mutabilitatem in hunc modum significauit S. Thomas in 1. dist. 13. quaest. 2. ar. 1. ad 4. [non esse dicendum esse contingentem voluntatem, aut volitionem Dei, quia contingentia mutabilitatem importat, hoc est talem indeterminatorem adesse, vel non esse, quae subiecta sit mutationi, ratione cuius non modo semel existere, sit contingens, sed etiam in existentia perseverare, vel ab existendo deficere, sit contingens:] atque ideo non posset concedi Deo; nihilominus tamen contingentia virtualis per aequivalentiam Deo tribuere non est imperfectio, sed potius maxima perfectio ad verificandam libertatem Dei, ut conditio necessaria ad exercitium talis libertatis, sicut distinctio formalis à parte rei est imperfectio, si ponatur inter absoluta praedicata Dei, nihilominus tamen distinctio virtualis, & per aequivalentiam est maxima perfectio, quia est conditio & requisitum ad mysterium Trinitatis, ut iam explicui, sic similiter in nostro casu.

Dices, contingentiam non esse solum requisitum, aut conditionem ad libertatis usum, sed potius esse ipsammet libertatem, quia solis liberis conuenit.

Sed contra manifeste, quia contingentia ad essendum, & non essendum non est sola & propria liberorum, sed etiam competit aliis, quibus minime competit libertas, lapis enim contingens est, siquidem potest esse, & non esse, unde corruptibilis est, & nihilominus lapis est incapax libertatis. Item actus primo primus minime liber est, & nihilominus contingens est; quia ita est, ut possit non esse, imo ita est, ut qui nunc est, immediate post deficiat esse, & cito transeat ergo contingentia non est ipsa libertas, neque propria liberi, sed potius est praedicatum commune, & transcendens respectu omnis, & cuiuscunque creaturae, quia omnis creatura potest deficere esse saltem per annihilationem; libertas autem non est praedicatum conueniens omni creaturae, sed potius perfectissime, scilicet intellectuali, & uolitivae, imo ut iam diximus ita conuenit libertas intellectuali creaturae, ut si libertas concipiatur secundum conceptum praecisum, & commune Deo & creaturis, dicat perfectionem sine imperfectione, ac proinde sine vlla contingentia formali, quia de se solum dicit indifferentiam ad amandum, vel ad volendum non amare, ut optime docuit D. Thomas primo contra gentes. cap. 6. agens de libertate, his verbis, quiditas libertatis est potestas indifferens ad utrumlibet, ita ut voluntas non sit libera, nisi possit velle, & possit non velle positus omnibus, quae antecedenter requiruntur ad volendum; haec autem potestas, si in perfectissimo, & infinito libero sit, non est, ut habeat entitatem actus, quae postea deficiat esse formaliter, sed potius ut per vnam indiuisibilem entitatem, & formalitatem sine vlla destructione, aut deficientia, & sine vlla distinctione, & pluralitate reali formali possit amare, aut velle facere, & velle non facere cum sola variatione aequivalenti, & cum contingentia virtuali, sed hoc non est ita intelligentum ut Deus aequiueat libertati formali, quia hoc falsum est cum in se habeat libertatem formalem; solum enim aequiualeat in perfectionibus admixtis libertati, videlicet actui primo ut

distincto à parte rei ab actu secundo, & actibus secundis, ut distinctis inter se realiter, & ab actu primo, item contingentiae formali ad essendum, & non essendum, quae datur in actibus liberis creatis, & reductioni per additionem realem, & per mutationem actus primi, ratione coniunctionis realis actus secundi supra ipsum primum. Itaque libertas formalis diuina constituitur per formalem indifferentiam ad volendum facere, & ad volendum non facere, ratione formalis potestatis, & dominii infiniti, quo gaudet, ratione cuius habet in sua potestate aequiualeat actui primo, prout distincto realiter à secundo, & vni secundo prout distincto realiter ab alio. Itaque sicut libertas creata consistit in hoc quod formaliter sit indifferens ad amandum, & non amandum, habendo pro conditione, & requisito ratione propriae imperfectionis contingentiam formalem, & habendo in sua potestate reducere se ad operandum, vel non operandum per additionem formalem realem actus secundi supra primum, ita libertas formalis in creata consistit in hoc quod habeat in sua potestate se reducere per aequivalentiam dictam iam ad hunc actum, iam ad illum, ratione cuius nunc in Deo datur denominatio amandi, vel odii habendi.

Nec mirum, quod in perfectissima voluntate diuina possit dari talis transitus de vna denominatione intrinseca ad aliam sine mutatione intrinseca, siquidem ipsi aduersarij, ut Caietanus, & alij, concedunt primam relationem Patris respicere primum filium solum intrinsece, & postea sine additione reali intrinseca respicere secundum filium, ita ut à non respiciente secundum, intrinsece transeat ad respicientem intrinsece sine eo quod mutetur intrinsece. Item in sententia Thomistarum materia, & forma transeunt de non vnitis intrinsece ad vnitas intrinsece substantialiter sine additione reali intrinseca vnionis, quia ipsi non ponunt vnionem distinctam à materia, & forma: ergo à fortiori si Deus infinitus est, poterit subire diuersas denominationes intrinsecas sine mutatione intrinseca, quare maxime mirandum est hominibus sapientia, & prudentia tinctis, ac delibutis vnum Caietanum, qui se facile in creatoris finitis, ac limitatis hac intelligere doceat in Deo neget, & toto pectore doceat, & pertinaciter affirmet necessario Deum subire additiones, & mutationes reales dum subit amorem, & odium, & dum vult facere, & vult non facere; unde imperfectionem negat creaturis, & concedit Deo quod falsum est; imo inter ipsas creaturas perfectiori modo procedit perfectior, v. g. ut paries, qui media nocte non est proxime visibilis transeat ad esse visibilis intrinsece, necesse est ut fiat hic transitus per additionem intrinsecam lucis in ipso, & etiam per mutationem extrinsecam respectu sui, v. g. mittendo species in potentiam visivam, quod aliter contingit in actu libero Angeli, qui transit de intelligibili proxime ad intelligibilem proxime sine vlla mutatione intrinseca talis actus, per solam denominationem extrinsecam proveniente ab Angelo habente talem actum, & volente manifestare illum ut in tract. de Angelis agitur, cuius differentia ratio est perfectio actus voluntatis spiritualis, quae superat actus liber parietem visibilem: ergo à fortiori, quando creatura non potest transire de non volente in volentem, & de volente in nolentem sine mutatione, & additione intrinseca, poterit sine dubio Deus, qui non solum perfectus est, sed etiam infinite perfectus

FFF 3 transi

transire de volente in nolentem &c. sine vlla mutatione intrinseca formali per solam mutationem virtualementem.

Præterea Verbum diuinum transit de non terminante vnionem hypostaticam intrinsecè ad terminans intrinsecè prout talis vnio distinguitur ab humanitate sine vlla additione reali distincta à Verbo; alias si ad terminandam intrinsecè vnionem hypostaticam deberet dari alia formalitas distincta à Verbo, & ab vnione hypostatica, sine dubio daretur processus in infinitum, quia etiam ad illam formalitatem, quæ est necessaria ad vnionem hypostaticam terminandam, esset necessaria alia; & ad illam alia sine fine, quia non est maior ratio vnus, quam alterius: sed hoc non est dicendum: ergo asserendum est Verbum diuinum sine vlla additione, & per se ipsum transire de non terminante intrinsecè vnionem ad terminans intrinsecè illam sine vlla additione, & diminutione reali ex parte Verbi ratione infinitæ perfectionis illius, quia neque est substantiæ adhesionis, neque inhesionis, ac proinde sine vlla mutatione sui, quod nulla creatura potest exercere, aut habere; in quo etiam relucet distinctio, & contingentia virtualis; itaque huiusmodi transitus in Verbo aperte faciliat intellectum, & persuadet efficaciter, vt intelligat bene posse contingere, vt voluntas diuina transeat de volente in nolentem intrinsecè sine vlla mutatione intrinseca formali, sine vlla additione formali, reali & diminutione realiter, ratione infinitæ perfectionis æquivalentiæ ad contingentiam, & distinctionem formalem creaturarum.

Tandem ex his omnibus patet quam sit eminens, & excellens modus defendendi libertatem diuinam, quamque facilis, vt vel ob hanc solam causam iure optimo omnibus amplectendus sit; nam si in sententia omnium Angelus potest extendi, & non extendi ad maiorem locum de minori, & anima rationalis ab vna parte ad aliam corporis, & potest definire esse in parte, in qua erat ante intrinsecè sine additione, & diminutione entitatis Angeli, & animæ, per solam extensionem virtualementem, & æquivalentiam: item si homo per eandem indivisibilem entitatem à parte rei potest conuenire, & non conuenire cum Deo propter solam distincti onem virtualementem, & æquivalentiam, quæ datur inter prædicata ipsius hominis, per quæ conuenit, & non conuenit cum Deo; & si intellectus, & voluntas diuina, diuinitas, & Paternitas possunt communicari, & non communicari &c. propter solam distinctionem virtualementem, & æquivalentiam; sicut Verbum diuinum potest terminare, & non terminare intrinsece vnionem sine additione, & diminutione formali, cur voluntas diuina non poterit amare, & odio habere? & ita amare, aut ita velle vt potuerit velle non facere mundum sine contingentia, additione, & diminutione formali, per solam contingentiam virtualementem, & æquivalentiam, & per additionem, & diminutionem æquivalentem? certe nulla potest assignari ratio disparitatis: ergo si fundamentum non est nonum in Theologia, sed potius antiquissimum, ab ipsisque aduersariis summo applausu, maximisque laudibus, & encomiis ad cælum vsque elatum, ad quod tanquam ad suæ felicitatis palladium confugiunt, vt facillimo negotio, vt ipsi aiunt, soluant gravissimas, & implicatissimas difficultates; tum Dialecticæ, tum Philosophiæ & metaphysicæ, tum denique Theolo-

giæ, ac proinde tutissime tali fundamento se protegent, ad infinita mysteria fidei defendenda, & ab ipsis modis defendendi in illis locis fundatis duntaxat huic fundamento facillimus appellatur.

Sine dubio noster hic modus, quicquid principio, ac eodem fundamento, eodemque modo applicato defendendi actus liberos Dei innitens, & fundatus facillimus erit, imo facillior omnibus, in quo & dignitas & summa perfectio Dei defenditur, & luminis naturalis leges observantur, ac tandem bonæ Philosophiæ, ac Theologiæ principia ad vnguem defenduntur: immo, quod homines sapientia, & scientia præditi consequentiaque, & acutius obseruantes hic oppugnent quod alibi totis viribus propugnant, & hic labefactare contendunt fundamentum, quod in innumeris alijs locis ita defendere conantur, vt si illud deferant sine dubio omnia eorum placita funditus corrumpant, quapropter si difficultatem habet in hac materia, si intelligibilis est, vt ipsi aiunt, hæc discurrendi via intelligibilis erit tota Dialectica, inconuenientijs, & disconuenientijs prædicatorum intelligibilis erit philosophia in extensione virtuali animæ rationalis, & alijs id genus. Tandem intelligibilis erit tota Theologia, & defendendi modus omnium Theologorum in mysterio Trinitatis, immensitatis Dei, incarnationis Verbi diuini &c. ne igitur hæc dicantur, sine dubio asserendum est, modum quo in præsentia defendimus mysterium actuum liberorum non solum non esse intelligibilem, imo neque difficilem in hac materia prout distinguitur ab alijs, sed potius facillimum, suppositis dictis in alijs materijs; vnde difficultates non sunt huius loci sed aliorum, & si ibi vincuntur huc veniunt prolixius victæ, ac debilitatæ.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

AD primum argumentum Patris Hierize respondendo, totum illud fundari in falsa suppositione, scilicet quod in Deo non sit formaliter voluntas, libera volitio Dei, & necessaria volitio sui ipsius, nos enim omnia hæc formaliter existere in Deo dicimus, quia omnia hæc sunt perfectio sine imperfectione, solum enim dicimus, vt patet ex supra dictis distinctionem inter has perfectiones, contingentiam, additionem, & diminutionem esse virtualiter, & per æquivalentiam in Deo. exemplo clarissimo docletur hoc; nam in Deo formaliter datur presentia infinita Dei; extensio autem illius, diminutio, aut additio non est formaliter, sed virtualiter, & æquivalenter. Itē in diuinis datur formaliter intellectus per quem generatur Verbum, & voluntas per quam non generatur formaliter ipsum; sicut etiam datur diuinas formaliter communicata, & Paternitas formaliter non communicata; distinctio autem necessaria ad hæc non est formaliter, sed solum virtualiter. Ita similiter in Deo est formalitas amoris, odij &c. contingentia autem requisita ad libertatem, deficientia, destructio, & additio ad libertatem, deficientia, & infinito dominio formalis indifferentia, & infinito dominio ad amandum, & non amandum quando, & quomodo voluerit secundum consilium voluntatis suæ; ita vt ratione infinitæ perfectionis, & æquivalentiæ